amantissimum esse et humanitatis tuæ singularis, quâ me isthic
complecti solebas, maximè memorem. Quis n. præter te sollicitum
animum ~~tuum~~ meum variisq; curis distractum, cum vobiscum essem,
recreabat? tu certe frequens apud me eras, et ad omnem alacri-
tatem amabiliss. moribus et doctis colloquiis tuis me excitabas.
Cujus ego rei memoriam nunquam depono. Quod tu, si voles, re-
ipsa intelliges. Mitto isthuc Petrum Stuppam Ravennensem
Chirurgum inprimis artis suæ gnarum et in ejus magnis ac
mirandis operibus feliciter exercitatum. Rogavi, ut te amaret
atq; observaret. te itidem rogo, ut pro solita tua bonitate mea
causa vicissim omnem illi humanitatem præstes. Cæs: Majtis
Chirurgus futurus est, ex mea et Clariss. viri, ac de me optimè
si quis alius unquam meriti, Dni Cratonis commendatione. Si opus
fuerit, fac ut intelligat te mei amantem esse et Amicorum
meorum studiosum. Reliqui apud hospitem meum Exc: Viri
D. Fabricii librum illum magnum, cupio scire, an ei redditus sit.
Obsecro saluta eum amantissimè et quære ex eo, num de juvene
illo Mathematico Tubingensi aliquid percontatus sit. Salveat
itidem diligenter D. Zeisacker. Constitueram utrumq; et te
domi vestræ invisere, sed tempore et occupationibus exclu-
sus sum. Cum acceperis Grillum de Saxon: et de peregrinatione
ejus orationem, rogo ne graveris mihi mittere, adscripto pre-
cio. Illud abs tua humanitate inprimis impetrare cupio, ut
mihi de novâ luce cogitationes ac demonstrationes tuas omnes
mittas, simulq; indices, ecquid opinionem de ea tuam mutave-
ris, sunt qui pertinaciter asseverent, nihil novi luminis,
sed ex fixis unam esse, quæ ab orbe condito fuerit. Vale mi,
amice et si otium est, asperge in responso de rebus novis, tum
qui de me absente isthic sermones spargantur post novum
hoc munus meum. Cracov: 23. Aug: 1573.

281 Eidem Taddeo Hagecio etc. And. Dudith.

S. P. In magno luctu et squalore sum ob immaturam uxoris
meæ charissimæ mortem. Periit abhinc tribus hebdomadibus
et magnum atq; acerbum mihi sui desiderium, ac pignus mu-
tui amoris nostri planè incomparabilis reliquit. foemina no-
bilissima et lectissima erat, in sinu Reginæ Catharinæ castissimæ
et sanctissimæ

et sanctissimè educata. Sed desino plura, ne me magis magisque commemorandis illius verissimis laudibus excruciem. Literae tuae pergratae fuerunt. Breviter sic habe, nullo me tempore non fore in tuâ potestate. Expecto Grillum. Tuam de nova stella lucubrationem avidè expecto. Cuperem eam typis subjici et in lucem venire. Id si facere constituisti, tum tua tum nostra causa, laudo consilium. Sin etiam habes tuas aliquas rationes, quamobrem id nunc facere supersedeas, rogo te, ne mihi ejus lectionem invideas. In tanta studiosorum multitudine, ex amanuensium copia, non deerit qui describat, modo velis. Ego diligenter et libenter scribae mercedem reponam, quantamcunque volet, pro hoc labore. De mathematico isto Tubingensi desino esse solicitus hoc tempore, dum intellexero ex hero nostro, ubi terrarum me nidum ponere ac sedem figere volet. Grata tamen erit illius voluntatem cognoscere, ut, si res mea ferent invocare eum possim, cum firmam aliquam et fidam meae huic confractae navi stationem inveniam. Rogo Exc: V. ut ex me Dn. Doctori Fabricio et Reusackero salutem Plur: dicat, et amicis aliis. Mercatoris de hac stella judicium mittere volebam, sed non potuit nunc reperiri, in tanta rerum mearum omnium perturbatione. Mittam post hac, si voles, cum thematibus natalis mei et filiorum ut de eis mihi ex astris respondeat aliquid, quod te facturum esse, pro amicitia nostra confido. Est hic quidam Matth: Puttig insignis, ut fertur, Chimicus. Cupio scire, an eum noveris, tum si quid scire cupis ex arcanis, significa, ut excipiscemur aliqua utilia et jucunda. Vale mi amantissime et optime Dm. Doctor et me mutuo dilige, atque imperio hominis tui cupidissimi. Audio quasi Doctorem Medicum Imperatori, et nescio quem ex Italia evocatum esse. Cur meus Tablers negligit!! Vale iterum. Cracoviae XXI Nov: 1573.

D. Exc: V. Amantiss: Andreas Dudith.

Palaeologus redit ex Turcia in Daciam vacuis manibus, ajunt, qui illinc veniunt, eum esse impostorem et Trasonem. Doleo hoc suicum, et multo magis, quod obliti suae conditionis tantopere se offerat, et eum huic nide, pecuniam ab amicis emendicet, nesciat tamen quo pacto ita uti debeat. Stis est ut vi deo. Nam huc redire cogitat, hinc ad vos fortasse.

Epistola Bezae. [An Wolf?: J.C. Wahl an Molanus, da auch in MS. a.7 vertreten!] 202)

Duo ex me percontaris, mi frater, unum, an verbum ῥητῶς, accipere oporteat de manducatione, ne in institutione coenae Domini praescripta, [illegible], alterum, an istam manducationem putem absolute, et prorsus necessariam in coenae administratione usurpandam, [illegible], quid de eis [= Wer. a.7: Nr. 240]